

in materia corporali existens; quam ob causam, hac in vita nisi per analogias quasdam neque Deum neque angelos intelligere vel concipere possumus; sed alteram expectamus vitam in qua divina quidditas seu essentia immediate nostrum intellectum moveat.

Proinde, obiectum quod ad intelligentiam theologiam nos movet, remote quidem est ipsa divina essentia seu quidditas, proxime autem est verum quod Deus de se nobis revelavit et per ecclesiam nobis proponit et ipsi pre fidem suscipimus.

Et idcirco differt theologia a scientiis naturalibus, quae ex sensibilibus incipiant et per intelligentiam ad verum inveniendum procedant. Non enim ex sensibilibus incipit theologia sed ex veris revelatis et creditis; neque ad eam attingit intelligentiam, quae ad verum certo invenendum sufficiat, sed ad illam obscuram, analogicam, et imperfectam, qua verum, iam aliunde cognitum, aliquatenus illustratur et plenius possidetur.

Praeterea, quia obiectum movens ad intelligentiam theologiam est verum revelatum, principia scientiae theologicae dicuntur articuli fidei. Uterius, cum scientiae subalternatae sit ut principia sua ex alia scientia accipiat, theologia scientiae subalternatae assimilatur, inquantum ex iis principiis incipit, quae ex scientia divina per revelationem atque fidem accipit. Denique tandem cum nulla scientia qua scientia mensuretur secundum cognitionem praescientificam ex qua incipit, ita etiam perperam theologiam scientiam ut scientiam mensuratur secundum cognitionem fidei ex qua incipit.

Quinto, perspectis obiectis, iam considerandi sunt processus qui inter obiecta, quasi motus inter terminos, versantur. Et primo de eo processu agendum est qui ex obiecto movente in obiectum ut terminum progreditur.

Quo in processu, duo maxime distinguuntur. In unaquaque enim aetate convenienter distinguitur inter motum quemdam fundamentalem, quo iam cognita in scholis traduntur, et motum alium et superadditum, quo actu investigantes augmentum intelligentiae, scientiae, sapientiae promovere nituntur.

Secundum primum ergo atque fundamentalem motum incipitur ex iis quae nunc temporis vel manifeste ad ipsam fidem pertinent vel manifeste cum fide connectuntur: deinde

alias scientias, et praecipue humanas, a theologia addiscere oportere, cum haec in vita homo sit et peccato originali infectus et supernaturali Dei gratia ecclesiaeque magisterio adiutus. Qua in mutua opitulatione (DB 1799), sapientiae munus exerceat theologia, tum quia superiori fidei lumine dirigitur, tum quia sola hominem (prout de facto in statu naturae lapsae et reparatae versatur) in causas reducere potest. Quare, quamvis theologia etiam hoc in munere sapientiali alias scientias, puta, logicam, methodologicam, philosophicam, adhibere soleat et debeat, ipsius tamen est iustos singulorum fines determinare (DB 1799).

Porro, in quantum theologia secundum se consideratur, tamquam particularis quaedam scientia, ea respicit obiecta quae supernaturali fidei lumine innotescunt, puta, Deum trinum, Verbum incarnatum, et caetera quae ad oeconomiam salutis pertineant. Inter se autem differunt fides et theologia, non quia alia et alia obiecta intendant, sed quia eadem obiecta alio et alio modo considerant. Quod enim credit fidelis, idem aliquatenus intelligit theologus; quod ergo fidelis ut verum affirmat, theologus ut verum intelligibile intendit. Sicut enim scientia non est quaelibet certa cognitio sed est certa rerum per causas cognitio, ita etiam super simplicem fidem addit theologia, in quantum ex vero credito in verum et creditum et aliquatenus intellectum procedit.

Deinde, sicut obiectum intellectus ut finis est ens, ita obiectum theologiae ut finis est Deus. Iterum, sicut obiectum intellectus ut finis non est aspectus quidam entis vel entis quaelibet ratio vel notio sed id ipsum quodcumque existit, ita etiam obiectum theologiae ut finis non est aspectus vel ratio vel notio Dei sed ipsa divina realitas. Cui primario obiecto accedunt alia secundaria, sive quia per ea in Deum ascendimus, sive quia in eo verius et plenius cognoscenda, Deo cognito, redimus. Quae quidem obiecta secundaria, quatenus ad obiectum ut finem pertinent, non secundum aliquem aspectum vel rationem vel notionem sed secundum ipsam eorum realitatem considerantur. Quare, cum theologus de oeconomia salutis inquirat, non notionem sed realitatem cognoscere vult.

Tertio, sicut intellectus ens determinatum in vero determinato tamquam in medio conspicit, ita etiam theologus obiectum ut finem attingit mediante quodam termino immanen-

non intelligitur totum nisi partes intelliguntur, neque una pars aliis remotis atque sciunctis intelligi potest, ita etiam omnes scientiae theologicae partes adeo inter se cohaerent et mutuo dependent ut, vel una omissa parumve intellecta, caeterae proprium munus atque officium explere nequeant. Quod multis diversisque modis de motu theologico disserentes superius illustravimus. Quorum enim via analytica quaerit certitudinem, eorundem via synthetica quaerit intelligentiam. Quorum via synthetica intelligentiam quamdam invenit, iisdem non semel suam auctoritatem communicavit ecclesia docens. Quae ecclesia docet, tamquam praemissas assumit via analytica. Quae autem in fontibus revelationis continentur, sed via tum analytica tum synthetica non satis considerantur, attentionem sibi vindicant per problemata apostolica et pastoralia ex ipsa hac negligentia orta, ut renovatis studiis positivis augeatur atque proficiat theologica intelligentia, scientia, sapientia.

At nostrae aetatis esse videtur studia positiva non solum summa quadam diligentia sed etiam methodo propria atque exacta prosequi. Quod eum factum sit, nisi pars theologiae speculativa et pari diligentia et methodo pariter propria atque specializata excolitur, haud fieri potest ut ex ipsa hac inaequalitate non oriantur difficultates, querimoniae, incomprehensiones, crises, imo et aberrationes. Quod si explodere volumus illam opinionem, scholasticismum esse antiquatum, quam errorum fontem lamentatae sunt litterae encyclicae, «*Humani generis*», non parvae utilitatis fore arbitror brevius quoddam opusculum, quod eo clarius naturam theologiae intelligentiae illustrare possit, quod, caeteris omissis quae mentem distrahant, finem speculativum unice intendat.

juristicq ad prius quoad nos patristicum procedat. Et ita opinabatur Severus Antiochenus qui, cum apud patres viderit vocem, *natura*, nihil aliud significare quam ens coneretur atque completum, ut omnis natura etiam suppositum sit, unam tantum naturam in Christo Deo et homine agnovit, et ipsum concilium Chalcedonense tamquam nestorianum impugnavit. Qua de causa, non ob errorem christologicum a fide defecisse hi monophysitae videntur²⁶, sed potius quia propter errorem methodologicum ecclesiae concilioque oecumenico obtemperare noluerunt. At haec monophysitarum causa adeo obscura erat, ut haud prohibere potuerit quominus alii crederent, nunquam prius scripturasticum esse relinquendum nisi ad prius patristicum transiretur.

Tertium ergo sit exemplum mediaevalis conflictus inter augustinianos et aristotelicos. Quem, Romam scribens, sic descripsit Ioannes Peckham, O. F. M., archiep. Cantuar.:

« et ut sacrosancta Romana ecclesia attendere dignaretur, quod cum doctrina duorum ordinum in omnibus dubitabilibus sibi pene penitus hodie adversetur; cumque doctrina alterius eorundem, abiectis et ex parte vilipensis sanctorum sententiis, philosophicis dogmatibus quasi totaliter innitatur, ut plena sit idolis domus Dei et languore, quem praedixit Apostolus, pugnantium quaestionum; quantum inde futuris temporibus poterit ecclesiae periculum imminere. Quid enim magis necessarium, quam fractis columnis aedificium cadere; quam vilipensis authenticis doctoribus Augustino et caeteris, foedum venire principem et veritatem succumbere falsitati? »²⁷.

Qua in descriptione inter duas intellectus operationes satis distinxisse non videtur auctor. Aliud enim est quaerere quid sit, aliud autem est quaerere an sit. Quod si in hac secunda operatione sanctorum sententias abiectis et philosophicis dogmatibus quasi totaliter inniteris, a fide sane defecis. Sin autem de fide nulla iam est quaestio, si ad sola dubitabilia restringitur totus conflictus, quemadmodum fieri potest ut domus Dei impleatur idolis, ut vilipendantur doctores authentici ut Augustinus, ut alterius ordinis doctrina philosophicis dogmatibus quasi totaliter innitatur? Ea sola lege haec omnia conciliantur ut festem habeamus parum acutum quamvis, uti videtur, non minus acutum forte quam alii eius-

²⁶ Cf. J. Lebon. La christologie du monophysisme syrien. Grillmeier-Bacht, *Das Konzil von Chalkedon*. Würzburg, 1951. I, 576 ss.

²⁷ R. Ehrle, John Peckham über den Kampf des Augustinismus und Aristotelismus in der zweiten Hälfte des 13 Jhs. *Zeit. f. kath. Theol.*, XIII (1889). 181.

hae processiones, specificè inter se distinctae, aliquid prius et genericum communiter praesupponant. Et ideo ab emanatione intelligibili incipitur tanquam a maxime fundamentali in via synthetica. Et cum personae solummodo in capite quarto, cum relationes solummodo in capite tertio, cum generatio Filii et spiratio Spiritus solummodo ad finem capitis secundi considerentur, incipitur ab emanatione intelligibili prout in Deo concipi potest, antequam distinguantur duae processiones, antequam cogitentur quattuor relationes, antequam via synthetica concipiantur tres personae.

Intellecta autem, quantum fieri potest, emanatione intelligibili divina, proceditur ad distinctionem duarum emanationum; duabus distinctis, determinetur utrum alia sit generatio et alia non; determinatis processibus, ad relationes acceditur; et investigatis relationibus, ad personas terminatur.

Quo in processu, nihil aliud quaeritur quam ordinatum atque paedagogice directum intelligentiae augmentum. Illud enim quaeritur quod peculiare atque pretiosum perspexit Aristoteles in syllogismo epistemonico seu scientifico seu « faciente scire ». Cum enim omnes syllogismi pariter in certas conclusiones conducant, syllogismus scientificus non solum conclusionem certam sed etiam intellectam gignit. Quam ob causam, cum theologia sit analogice scientia, syllogismis analogice scientificis utitur, ut certitudini aliunde acquisitae accedat etiam imperfecta quaedam intelligentia.

Via ergo syntheticae processus proprius et essentialis, quamvis sermone humano haud exprimatur nisi per deductiones etiam certas, tamen non ipsam hanc certitudinem intendit sed illud intelligentiae augmentum quod ex intelligentia unius oritur et pedetentim ad alia intelligenda extenditur. Quare, intellecta quodammodo emanatione intelligibili divina, proceditur ad intelligentiam emanationis Verbi et emanationis Amoris; his intellectis, proceditur in intelligentiam generationis divinae; et similiter in aliis gradatim evolvuntur notiones donec ad eam perveniatur intelligentiam quae haec in materia haberi possit. Neque plus hoc in opusculo directe intendi potest vel debet, cum iam sat complexum sit argumentum, cum alia circa quaestiones positivas sit methodus, cum minime desint eximia opera quibus fundamentum positivum modo amplissimo exponatur.

Indirecte tamen alios fructus neque eos parvos percipi posse arbitramur. Sicut enim in organismo quodam vivente

Attamen si tota solutio in vocibus exterius prolatis consistit, fit quidem sonus in aere sed, cum nihil habeatur in mente, ipse sonus omni sensu caret. Quod si quis diceret generationem Filii et spirationem Spiritus nihil aliud esse quam flatus vocis, sane haereticus esset. Quare ulterius procedendum est, ut dicamus quatenam sit mira illa emanatio secundum quam Deus est ex Deo, et quidem non alius Deus ex alio, sed idem ex eodem. Praeterea, dicendum est quid intercedat inter emanationem qua generatur Filius et aliam illam qua spiratur Spiritus. Denique, dicendum est cur prima emanatio sit generatio sed altera non sit generatio. Quae quidem quaestiones hoc in capite de processibus tractantur.

Non tamen sufficit ut aliquid in mente intelligamus cum voces, generationem, spirationem, proferamus. Quod enim in mente intelligitur, nisi etiam in ipsa rerum realitate invenitur, ens rationis tantummodo est. Quod si quis diceret generationem Filii vel spirationem Spiritus esse entia rationis tantummodo, sane haereticus esset. Et ideo ulterius est procedendum ut dicamus quemadmodum in Deo simplicissimo Filius secundum aliud est a se et secundum aliud non est a se. Quod magnam habet difficultatem. Cum enim Filius sit Deus, et Deus sit simplicissimus, et in simplicissimo non sint aliud et aliud realiter, videtur sequi quod idem Filius secundum eandem realitatem tum a se est tum non a se. Quae quidem contradictio etiam circa Spiritum sanctum sequi videtur. Quocirca ponitur quaestio de relationibus divinis, utrum et quot sint reales, utrum inter se realiter distinguantur, utrum realiter an ratione a divina essentia distinguantur; et de his tractatur in capite tertio.

Manet tamen alius gressus. Sit quod generatio et spiratio sint non solum in vocibus sed etiam in mente, neque solum in mente sed etiam in ipsa realitate divina. Non alia tamen realitas in divinis est ponenda, quam ea quae reapse ibi est. Confitetur fidelis tres personas divinas realiter inter se distinctas; at ex antecessis nihil concluditur nisi tres relationes subsistentes realiter inter se distinctas. Quare in capite quarto dicendum erit utrum relationes divinae subsistentes tum ontologicè tum psychologicè sint veri nominis personae. Qua quaestione soluta, solvitur problema trinitarium fundamentale, ut sine contradictione et cum aliqua intelligentia concipiantur verèque affirmantur tres personae realiter distinctae in una eademque natura divina.

CAPUT SECUNDUM

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS ANALOGICE CONCÍPIENDIS

Cum via synthetica ex eo incipiat, cuius intelligentia intelligentiam alterius non praesupponat, de processionibus ordiendum est. In processionibus enim fundantur relationes, ad quas consequuntur secundum nostrum concipiendi modum personae divinae.

Circa processionem, primo ponitur problema, deinde enumerantur principales sententiarum classes secundum earum radices, tertio explicatur quid sit emanatio intelligibilis, quarto tria asserta stabiluntur, et quinto solvuntur quaestiones annexae quattuor.

Tria autem asserta respiciunt, *primo*, ipsam analogiam psychologiam genericam sumptam, nempe, quod processionem divinae sunt concipiendae per similitudinem emanationis intelligibilis, *deinde*, genericam notionem differentiationem, nempe quod duae et tantummodo duae processionem divinae concipi possunt per similitudinem emanationis intelligibilis, verbi scilicet a dicente, et amoris ab utroque, *tertio*, specificam notionem applicationem, nempe, quod divina verbi emanatio, non autem emanatio amoris, est generatio proprie dicta.

Quaestiones autem annexae respiciunt distinctionem inter intelligere et verbum, demonstrabilitatem verbi divini, processionem Verbi divini ex intelligentia creaturarum, et habitudinem inter amorem et quod dicitur « amatum in amante ».

Quibus in omnibus, uti forte satis primo capitulo iam dictum est, non intenditur nisi viae syntheticae finis proprius. Qua de causa, hic non repetuntur ea fundamenta positiva quae ex documentis ecclesiasticis, ex sacra scriptura, ex patribus atque theologis afferri solent. Nam, primo, in multis et eximii operibus iam praesto sunt; deinde, non effleaciter proponuntur nisi proprio ordine qui ordini viae syntheticae

tum ad positiva attendatur, fieri potest ut magis iuxtapositiō vel mixtio attingatur quam coniunctio atque synthesis. Tertio, denique, adeo exaggerari potest ipsum systema ut positiva superfluant eum demonstrari possint. Quarum prima tendentia in decadentia saec. XIV et XV maxime conspicitur, quamvis deinceps theologiam vocare haud desiverit. Altera autem tendentia oritur, in quantum ad ancillae dominationem additur necessitas apologetica. Tertia denique in semirationalismo saec. XIX apparuit, cuius vita brevis concilio Vaticano interempta est.

Tripliciter pariter, cum synthesis defuerit, in re positiva aberratur. Primo, enim, suadet archaismus ut, recentiori saltem synthesisi reiecta, ad stadium quoddam christianismi antiquius, simplicius, purius redeatur. Deinde, autem, suadet futurismus ut, tam antiquiori quam recentiori synthesisi sprete, novus quidam atque inauditus omnium conspectus acceptetur. Tertio, denique, accedunt qui, tot tantisque theoriis mente defatigati, ita certitudinem quaerant ut omnem intelligentiam excludant.

Iam vero novatores saec. XVI et posteriores pietistae archaismum scripturisticum extollebant; baianistae et iansenistae archaismum patristicum et augustinianum volebant; neque ab hac tendentia immunes sunt recentissimi, qui ita theologiam vel biblicam vel patristicam praedicent, ut omnem posteriorem theologiam fere omissam velint. Futurismus deinde conspicitur in liberalibus et modernistis, qui de vera indole religionis christianae errasse arbitrentur non solum catholicos et protestantes sed etiam patres ecclesiae et ipsos novi testamenti auctores. Tertius denique error consistit, non in eo quod vel rite dividitur positivae inquisitionis labor vel rite ponitur viae syntheticae fundamentum analyticum atque certum, sed in eo quod tanti aestimatur viae positivae necessitas atque soliditas, ut ad positivisticam quamdam speculationis exclusionem perveniatur.

Cuius aberrationibus omnibus opponitur illa mysteriorum intelligentia quam docuit concilium Vaticanum. Quia enim datur mysteriorum intelligentia, datur intelligentia stricte theologica. Quia datur intelligentia stricte theologica, dantur etiam conceptus, qui hanc intelligentiam exprimant, et principia, quae his in conceptibus fundentur. Quia dantur tum conceptus tum principia, quae proprium obiectum, propria methodus, proprius campus.

Quibus positis, stabilitur fundamentum unde dominationi ancillae philosophicae resisti possit. Excluditur pariter ea notio quae theologiam meram mixtionem velit, quasi scilicet theologia, propriis principiis privata, in solis conclusionibus consisteret, quae sive ex revelatis solis sive ex revelatis et philosophicis simul de-